

## Luna domina anni.



Vna cum fuerit reuolutionis domina, erit iudicium secundum statum diuisionis, reuolutionis, & domini signi in quo diuisio significatoris acciderit, & participat in significato cum his planeta, qui fuerit in radice uel reuolutione in Cancro, & similiter cui Luna applicuerit, donec fuerit in signo in quo est. At si in eodem signo multis applicuerit, diuide annum per illos planetas æqualiter, dando cuilibet suam partem illius anni, iudicando quamlibet partem in Luna secundum malum uel bonum statum illius planetæ cui Luna applicat, si bonus fuerit uel malus. Et si Luna fuerit cursu uacua, significatio illius anni erit à domino domus suæ, & misce cum eo Lunam in illa significatione. Et si Luna fuerit in bono statu, & libera, dic bonum in omnibus quæ sunt de partitione Lunæ. Si uerò sit damnata, dic contrarium, matrisq; ualitudines, & malum statum corporis nati.

Aspice ad signum Lunæ in reuolutione, quia posse illius signi est æquale ascendentis reuolutionis, & ubicunq; sit, si sit recepta à planeta fortunante, spes illius nati erunt ratae. Si non recepta, contra fiet. Et si fuerit uacua cursu in illo signo, sume significationem à domino domus suæ, & dic secundum proprietatem Lunæ, domus, & signi in quibus fuerit. Nam si Saturnus erit, nato erit lucrum per senes, possessiones, & loca aquea. Si Iupiter, per reges, & nobiles, & bonam famam. Si Mars sit dominus domus Lunæ in die, & in decima, damna per bestias, grauitatemq; per magistrata, & reges, uel sanguinis effusionem significat.

Post hoc aspice singulis annis ad dominum signi in quo fuerit, & ad dominum applicationis, siue sit Luna, uel alius planeta, & da ipsi partem in significatione, & misce significata sua cum significationibus domini applicationis.

Et quando aliquis planeta fuerit eleuatus supra dominum anni, in suo Dodecatemorio, da illi suam significationem, secundum naturam domus in qua fuerit, & suamet domus. Quia si fuerit Iupiter dominus anni, & Sol eleuatus supra eum, significat itinera, & si in bono sit statu, erunt bona, si uerò in malo, dic contrarium.

Saturnus quando eleuatus fuerit supra Solem, & sit in decima, damnans eum & Sol fuerit in domo inimicorum, significat damna per motus & itinera, fugam, carcerem & litigia.

Et si Luna infortunata fuerit per quadraturam Saturni in reuolutione, prædic malas nato ualitudines, inimicos potentes, patrimonij amissionem, moeroremq; exilio. Et si cum hoc fuerit in signo fœminino, erit suæ uxori odio, & illi molestus.

Et si Luna per oppositionem Saturnum infortunauerit, accident patri occultæ, ægrotudines, dolores in membris absconditis, & dissipabit natus substantiam patris suis malis moribus, experieturq; angustias & uictus egestatem.

Et si ambo fuerint in signis quadrupedum, erit damnum per bestias. Si in humanis, per homines, & sic de cæteris.

Aspice in Reuolutionibus annorum & mensium ad statum Saturni cum Luna, ita quòd Saturnus eam non recipiat, nec accipiat fortunam eius, Et hoc est, quando se aspiciunt, & Luna sit in suo tardiori motu, & Saturnus in suo leuiori, quia tunc erit Luna magis remota quàm esse possit. Tunc enim accipit & destruit totam fortunam Lunæ, & hoc maius est infortunium Lunæ quòd esse possit.

Aspice etiam ad Lunæ motum in toto anno, & qua die Luna locum radice asperit bono aspectu, si fuerit tunc cum stella fortunante, prædic nato bonum & negotiorum celeritatem. Et si fuerit infortunata, contrarium dicito. Nam bonum & malum erit secundum naturam planetæ, cum quo Luna iuncta fuerit, & secundum hoc profer tua iudicia, & non errabis.

Hh iij Domi